

de legatione sua mediolanensi) Romanae Ecclesiae quantas habeat vires ad servandam canonicae aequitatis et iustitiae regulam, quantumque vigorem contineat ad disponendam ecclesiastici status disciplinam solus ille dilucide comprehendit, qui ecclesiasticis consuevit insudare negotiis. Quod utique privilegium qui inexpertus est parvipendit, exercitatus amplectitur... Armis autem privilegium Romanae Ecclesiae non incongrue comparaverim, quia dum haec una per cathedram b. Petri totius christianae religionis caput effecta cunctis in orbe terrarum principetur ecclesiis, velut dux ante aciem fidelium cuneis fulta, ac specialis praerogativae auctoritate munita et evangelico mucrone veritati resistentium cervices obtruncat, et ad invictissime dimicandum totam Christi militiam in unius caritatis ac fidei unanimitate conspirat. Hoc tu subtiliter, ut et alia multa, perpendens frequenter a me caritate quae superat omnia postulasti, ut Romanorum Pontificum decreta vel gesta percurrens, quidquid apostolicae Sedis auctoritati specialiter competere videretur, hinc inde curiosus exciperem atque in parvi voluminis unionem novae compilationis arte conflarem. » Quod quidem sanctissimi Archidiaconi consilium cum prius insuper habuisset S. Petrus, demum tandem maxime comprobavit, dum, ut ipse narrat, in legatione mediolanensi « liquido persensit, in Ecclesiasticis causis quantum Romanae Ecclesiae nosse privilegium valeat. » Id vel a Religionis hostibus docemur. Ii enim post Marsilium Patavinum, Lutherum, Richerium, De Dominis, Salsasium, Febronium, Iansenianos, Regalistas, collatis viribus in unam Petri cathedram impetum modo faciunt, eiusque iurisdictionem vel prorsus labefactare conantur, vel saltem minuere. Quocirca Romani Pontificis iurisdictionem (1) eiusque praerogativas accurate pro virili nostra parte declaraturi singillatim et vindicaturi sumus.

Quia vero omnes praerogativae Romani Pontificis eae sunt, quas Christus contulit Petro: et hae ex Scripturis certissime nobis constant, aggrediemur Tractationem ab ipso Primatu Petri, quem ex Scripturis demonstrabimus. Duplex enim distinguenda est quaestio ut veritatis inquisitio plena sit et accurata. Altera qua quaeritur an personae Petri promissus et collatus sit Primatus, altera an in Primatu perpetuos habere successores Petrus debeat. Has tamen quaestiones permiscere maluit Dr. Langen, ut veritati tenebras facilius

(1) A iurisdictionis nomine abhorret cum ceteris Febronius (De statu Ecclesiae c.2, §. 1) et mavult uti nomine *auctoritatis*; munitque se exemplo Tridentini Sess. VI praef. de Reformat. et Sess. XXV, c. 21. Latine scientibus, et systema Febronii non ignorantibus patet cur alterum vocabulum potius habeatur ab huiusmodi hominibus. Quare et nos *iurisdictionis* nomen usurpabimus potius, quia usu Ecclesiastico firmatum est, quia verissimum sensum exprimit, quia haereticis non placet.

obfunderet. Demonstrabimus vero Primatum Petri ex Scripturis adhibita quoque Traditione *exegetica* Patrum, ad cuius normam Scripturarum oracula Catholicos enarrare oportet. Quare huiusmodi exegetica Traditio sive interpretatio Patrum regulae instar nobis erit ad enarranda testimonia Scripturarum, ita tamen ut simul certis adhibitis interpretandi legibus demonstremus scientifice (hoc enim opus est Theologi) oracula Scripturae cum Patrum Traditione congruere, legitimamque prorsus esse interpretationem Patrum. Illud autem monemus quod difficultates praecipuas, quae ex historia Ecclesiastica, ex sententiis quorundam Patrum, ex actis aliquorum Pontificum petuntur, reicimus in alteram partem, in qua de Romano Pontifice directe agimus, tum quia ibi est proprius earum locus, tum ne bis eadem repetamus.

## PARS I.

### DE PRIMATU B. PETRI

#### CAPUT I.

#### DE INSTITUTIONE PRIMATUS B. PETRI

#### THESIS I.

*Tenendum est « iuxta Evangelii (Matth. XVI, 16-19) testimonium Primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum a Christo Domino fuisse. » (Conc. Vatic. Sess. IV, c. 1).*

**Declar.** Verbis his Patres Concilii Vaticani testantur (1) in testimonio Scripturae citato contineri promissionem primatus iurisdictionis Petro factam a Christo, eamque proinde promissionem ex Scriptura probari posse et debere: porro 2) primatum istum esse primatum non honoris tantum sed iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam, eundemque vero primatum 3) *immediate et directe* b. Petro promissum esse. Nempe, ut hoc tertium declarem, verba Christi continentia praerogativam primatus referuntur ad personam singularem Petri, et ad eam solam, non ad ceteros Apostolos simul cum Petro: ideoque promissio primatus facta est soli personae singulari Petri. Cum autem dicitur *sola persona singularis Petri*, non excluduntur eius successores, qui *ab ipso* sunt et in ipso virtualiter continentur (de qua tamen successione modo non disputamus), sed excluduntur ceteri



Apostoli qui *cum ipso* erant, ceterique fideles ac si simul cum ipso et in ipso fuerit illis potestas promissa iurisdictionis. Item cum dicitur *sola persona singularis Petri* non intelligitur quod haec persona secundum id tantum quod naturaliter habet acceperit promissionem primatus, vel quod primatus sit dos futura personae privatae, sed intelligitur unica persona Petri aucta quidem propria fide, et quod haec persona, quae est antecederet per se persona privata, futura sit consequenter per primatum persona quoque publica in societate cuius supremam obtineat potestatem. Tandem cum dicitur *immediate et directe* b. Petro promissus primatus, qui alicui certe immediate et directe promitti debuit sive uni singulari personae sive pluribus, ratio habetur subiecti cui inhaerere debet primatus, non subiecti *in cuius bonum et utilitatem* promissus est, quod subiectum est universa Ecclesia singulique fideles. Quocirca non negamus *mediate* h. e. per alium et *indirecte* h. e. ratione alterius cui primatus promissus est promissionem factam fuisse Ecclesiae, in cuius bonum facta est, et in qua esse debebat tanquam praecipuum membrum ille qui primatum gereret.

Sunt porro qui contendunt verba ea Christi, quae ad Petrum referri concedunt, dicta esse Petro prout ipse repraesentabat collegium totum Apostolorum, imo totam Ecclesiam in illo contentam, et idcirco potestatem quamlibet verbis Christi expressam promissam esse immediate et directe Apostolis omnibus simul, vel universae Ecclesiae. Unde consequens est nullam potestatem specialem prae ceteris Apostolis promissam esse personae singulari Petri, falsumque esse quod ipsi promissus sit primatus iurisdictionis in Apostolos universamque Ecclesiam. Accurata interpretatione verborum Christi doctrina catholica est defendenda; omnes autem partes sermonis Christi singillatim enarrabimus.

**Dem. I.** Matth. XVI, 13. seq. *Venit Iesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens: quem me dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Interpretatio, quam postremis his verbis plures haeretici adhibent, est, Petrum aliorum Apostolorum nomine respondisse, quatenus vel ab ipsis delegatus pro omnibus sit locutus, vel saltem quatenus communem Apostolorum sententiam intelligens, ipse ferventior ceteris eam prius edixerit. Negant id catholici et contendunt confessionem hanc fuisse propriam Petri, independentem prorsus a delegatione, vel sententia prius cognita Apostolorum: quod verum esse potest,

etsi Apostoli iam antea cognoverint veritatem quam nunc Petrus confitetur. Non ergo dicitur quod cognitio huius veritatis tunc primum habita fuerit primumque edita eius confessio, sed dicitur quod hac vice confessio Petri ab eo processit independentem a delegatione Apostolorum, vel sententia prius cognita eorumdem. Etenim 1) quod illi fingunt, verba Evangelistae explicite non dicunt; imo 2) implicite evidentissime negant. Totus enim contextus repugnat huic interpretationi. Nam a) Christus primum interrogat universim omnes discipulos suos: *quem me dicunt homines esse filium hominis?* et pariter secundo omnes interrogat: *vos autem quem me esse dicitis?* iam vero priori interrogationi cuncti absque delectu respondent: *at illi dixerunt?* etc. Perinde vero est sive per  $\tau\omicron$  alii distribuuntur ab Evangelista Apostoli, quod probabilius est, sive homines quorum diversas sententias Apostoli simul referant. Nemo ergo erat institutus ab illis qui omnium nomine responderet, et fictio est id fuisse in more positum Apostolorum. An in hac occasione post primam Christi interrogationem, cui communiter responderunt, vices suas Petro demandarunt? sed hoc est divinare non interpretari. Hypothesis ergo delegationis ab antecedentibus excluditur. Sed et haec et altera hypothesis excluditur quoque a consequentibus. Nam b) accepta responsione Petri 1) Christus praedicat beatum Petrum: *Beatus es Simon Bariona*, quibus verbis laudatur maxime Petrus, *μακαριος ει;* *μακαριος* enim is vere dicitur, qui maior est omni laude (Aristot. Ethic. Nicom. L. I. c. 12. « *Των ἀριστων οὐκ ἔστιν ἐπαινος, ἀλλὰ μείζον τι και βελτιον· καθαπερ και φαίνεται, τους τε γαρ θεους μακαριζομεν και εὐδαιμονιζομεν, και των ἀνδρων τους θειοτατους μακαριζομεν* »). Non dicit autem Christus beatos ceteros Apostolos; at si ea confessio fuit omnium Apostolorum, non erat ratio cur solus Petrus beatus diceretur; non enim laudatur expressio ore facta confessionis, sed ipsa confessio: non ergo ex delegatione aliorum locutus est Petrus. 2<sup>o</sup> Christus rationem reddens beatitudinis Petri inquit *quia caro et sanguis (1) non revelavit tibi, sed Pa-*

(1) *Caro* in Scripturis praeter primitivam propriam significationem, significat quoque tum integrum hominem (Gen. VI, 12 Ioan. I, 14), tum naturam humanam prout corrupta et vitiata fons est omnis peccati et turpitudinis, sive ipsum principium in homine inclinans ad peccatum vel cum actu coniunctum (Gen. VI, 3) vel spectatum veluti in potentia; unde opera carnis describuntur Gal. V, 19 et phrases: *esse in carne* Rom. VII, 5 *ambulare, vivere, cogitare secundum carnem*: 2 Cor. X, 2. Rom. VIII, 12; 2 Cor. I, 17; et *prudencia et sapientia carnis* Rom. VIII, 6, 7. Tum significat naturam humanam prout in se impotens et imbecilla est (Ierem. XVII, 5) et etiam generatim quod imbecillum est ut Isaiae XXXI, 3. In utraque hac postrema significatione opponitur spiri-



*ter meus qui in caelis est:* quibus verbis et excluditur manifestatio quoque veritatis facta per Apostolos: cum enim tunc Apostoli nondum aucti essent charismate infallibilitatis, adhuc eorum auctoritas humana erat et imbecilla, *caro et sanguis*, et asseritur manifestatio superna veritatis facta Petro, manifestatio autem immediata: *Pater meus revelavit tibi;* non ait *vobis* sed *tibi:* ubi manifestans veritatem exhibetur *solus Pater*, non Apostoli exhibentur, et ille cui facta est revelatio exhibetur *solus Petrus;* non ergo ab Apostolis accepit hanc notitiam Petrus, vel non Pater Apostolis, et per eos Petro revelavit, sed Pater Petro immediate revelavit. 3<sup>o</sup> Haec vero revelatio causa exhibetur confessionis Petri; haec enim revelatio ratio est cur Petrus laudetur: at sola revelatio Patris sine fide adhibita a Petro revelanti Patri non esset ratio cur laudaretur si non credidisset: cum ergo Petrus laudatur, propter fidem et confessionem quoque suam laudatur: laudatur autem quia revelavit ei Pater; laudatur ergo propter revelationem cum effectu h. e. fide eius coniunctam: itaque fides et confessio Petri exhibetur a Christo ut effectus revelationis Patris. Si ergo revelatio Patris facta est Petro, eique immediate facta, et causa fuit eius confessionis; confessio Petri talis exhibetur, ut propria ipsius fuerit. Itaque non est ab eo edita nomine ceterorum Apostolorum, a quibus delegationem acceperit, vel quorum sententiam cognitam Petrus expresserit.

Nec audiendi sunt qui a fervore Petri causam repetunt cur ipse responderit; nam 1) huius fervoris heic nulla mentio; 2) Christus diserte aliam causam docet h. e. revelationem Patris; 3) ad notitiam supernaturalem habendam fervor naturalis nihil conferre poterat: fervor vero quidam supernaturalis notitiam revelatione acceptam supponit, unde huiusmodi fervor concomitanter quidem se habere potuit ut modus confessionis, non vero antecedenter ut causa: porro de tali fervore quidam Patres loquuntur. Si autem dicatur quod supernaturalis fervor fuerit causa quod Petrus prior omnibus, qui idem potuissent respondere, unusque responderit; reponimus id ad quae-

tui. Gal. V, 16, 17 prudentiae Spiritus, legi Dei Rom. VIII, 6, 7; divinae Sapientiae et potestati Ierem. XVII, 5 conf. Iob. X, 4.

Item dictio haec *caro et sanguis* significat tum naturam humanam simpliciter physice spectatam Heb. XI, 14 tum naturam humanam prout vitata est et malorum operum effectrix, eademque mala opera Eph. VI, 12; 1 Cor. XV, 10; Gal. I, 16, tum naturam eandem prout in se spectata citra divinum auxilium infirma est et imbecilla. Hoc sensu frequenter usurpari hanc phrasim a Talmudistis testatur Lightfootus in hunc locum, qua phrasi hominem Deo opponunt. Atqui hic est sensus eius in hoc loco Matthaei; significatur enim natura humana secundum puras suas naturales vires, ut ex oppositione cum Deo, eiusque supernaturali illustratione liquet.

stionem, quam agimus, utrum nempe confessio Petri fuerit propria ipsius, non spectare; ut ex sequenti animadversione liquet, quam iam superius praeoccupavimus.

Constat enim demonstrationem traditam nostrae interpretationis esse independentem ab ea quaestione, an ante hanc occasionem aliquis alius cognoverit et confessus fuerit quod nunc Petrus (Ioan. I, 49), an ipsi Apostoli id iam crediderint et parati fuerint nunc confiteri; ut enim confessio edita a Petro propria fuerit ipsius, id solum requiritur ut Petrus non *dependenter* a delegatione vel notitia accepta ab aliis tunc ediderit confessionem suam, sed *dependenter* tantum ab instinctu Spiritus S. seu revelatione Patris, cui actu credidit: id porro ex verbis Christi clare constat. Porro data etiam hypothesi quod aliquis alius prius cognoverit et confessus fuerit quod nunc Petrus, nostrum non est investigare cur Christus Petro et non alii vicem rependens contulerit eas praerogativas quas in sequentibus videbimus: Deus est enim suorum donorum Dominus; et ratio ultima collationis eorundem est semper Dei bonitas liberalis.

Interpretationem traditam probant Patres inter quos Cyrillus hierosol. Catech. XI De Filio Dei unigenito n. 3<sup>o</sup>, Hilarius Pictav. De Trin. L. 6. n. 37, Basilius Seleucensis Orat. 25 in illud: quem me dicunt homines esse filium hominis, Asterius hom. in SS. Principes Apostoll., qui Petrum dicunt in cunctorum Apostolorum cunctatione et silentio, revelatione Patris ultra humanae infirmitatis modum intellexisse Christi divinitatem, et Ambrosio consentiunt dicenti in Luc. L. VI n. 97: « Petrus non exspectavit populi sententiam, sed suam prompsit dicens: tu es Christus Filius Dei vivi. »

Itaque confessio a Petro edita propria fuit ipsius Petri, non fuit confessio edita communi nomine Apostolorum, h. e. neque dependenter ab eorum delegatione neque ab eorum communicata notitia Petrus suam expressit confessionem.

Ergo ne nullo modo concedi potest Petrum communi nomine tanquam omnium Apostolorum personam sustinentem suam edidisse confessionem, quod quidam Patres asserere videntur?

Repraesentatio duplex distingui debet. Prior simplex, quae symbolica dici potest in eo sita quod signum pro re signata substituitur; secundum hanc Petrus repraesentasset Apostolos eo quod fuisset veluti signum pro ipsis tum ab ipsis tum a Christo substitutum; ita ut quidquid ipse dicit et ipsi a Christo dicitur spectet reapse ad omnes Apostolos. Altera repraesentatio ex auctoritate seu iuridica dicitur; qua societatis alicuius caput quatenus caput est 1<sup>o</sup> ipsam repraesentat societatem, quam virtute continet, 2<sup>o</sup> repraesentat quoque successores suos qui ratione eiusdem potestatis una sunt cum ipso



persona moralis. Porro cum quaeritur an Petrus repraesentaverit Apostolos et Ecclesiam, distinguendum est duplex veluti momentum, scilicet tum cum confessionem edebat, et tum cum promissionem primatus accipiebat a Christo. Si quaestio fiat de repraesentatione cum promissionem accipiebat primatus, haec quaestio in fine huius thesisi expediatur. Si autem quaeritur de repraesentatione quam gereret cum confessionem edidit, respondendum est 1° non fuisse repraesentationem pure symbolicam, nam nec nomine Apostolorum locutus est, nec Christus unum interrogavit qui pro omnibus responderet, sed omnes indiscriminatim interrogavit: 2° repraesentationem iuridicam quae capiti societatis competit respectu ipsius societatis suorumque successorum non posse concipi *actu* in persona Simonis nisi postquam auctus fuerit primatu, *in potentia* vero post ipsam promissionem primatus; quadam autem designatione divina iam tunc concipi eam posse in Simonis persona 1° eo quod iam personae Simonis promissa erat impositio nominis *Petri* quo primatus continetur, 2° propter ipsam confessionem, quatenus haec a Dei Patris revelatione procedebat, quia revelatio eo ex divina intentione spectabat, ut Petrus confitens divinitatem Christi acciperet promissionem primatus, eoque tandem augetur: « ut ad regimen totius Ecclesiae praeparatus primum disceret (Spiritu Patris in corde operante credentis) quod doceret, et pro soliditate fidei quam erat praedicaturus audiret; Tu es Petrus etc. » (Leo M. Serm. 62° al. 60). Quocirca cum dicitur Petrus Apostolorum princeps ut supremus Ecclesiae praeco vel tanquam os Apostolorum suam edidisse confessionem (Cyrillus hieros. l. c. Chrysost. hom. in illud: in faciem ei restiti) id vel ratione designationis, vel per quamdam anticipationem affirmatur.

II *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* *Κἀγω δε σοι* sed et ego; quibus in verbis particula *et* ita vim genericam copulandi retinet, ut simul redditionem et retributionem mercedis significet, ut sit idem quod *vicissim*. Illud: *et ego dico* vel opponitur Patri revelanti, et sensus est quem expressit Leo Magnus in Serm. 3. assumptionis suae « hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita ego tibi notam facio excellentiam tuam »; vel opponitur Petro confitenti et sensus est: sicut tu, revelante Patre, declarasti divinitatem meam, ita ego tibi declaro dignitatem tuam. Uterque sensus legitimus est, et unus in altero, ut facile liquet, continetur.

His ergo verbis: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* affirmat Christus Simonem esse *Petrum*; et sicut prius hoc nomen ei promiserat (Ioan. I, 42), ita nunc reapse imponit: et quia impositio nominis a Deo facta non vana est et sterilis, sed efficax et cum veri-

tate coniuncta (Cf. Gen. XVII, 5; XXXII, 28), ideo Christus ait Simonem esse Petrum, h. e. esse id quod nomine Petri metaphorice significatur. Intelligentia vero huius nominis impositi pendet ex intelligentia sequentium verborum, quibus Christus nominis vim declarat. Quaestio est itaque circa ea verba: *Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*: quaeritur nempe 1° quodnam sit subiectum ad quod vox *petra* refertur et 2° quid hac metaphora significetur. Adversarii in plures scinduntur sententias. Quidam 1) volunt diversa esse subiecta *Petrum*, et *petram*, Petrum quidem Simonem esse: *petra* vero quis sit non una est eorum sententia. Eorum vero interpretationes huc redeunt, ut alii interpretentur de ipsa Christi persona (1. Cor. X, 4. III, 11), alii de fide subiectiva, solida et divina, eiusque confessione, qualis fuit Petri, cui innititur Ecclesia, et quae pluribus est communis; alii de fide obiectiva seu doctrina Christi, cui pariter Ecclesia innititur, et speciatim de doctrina circa Christi divinitatem; alii de confessione Petri tam obiective quam subiective accepta, h. e. de Christo Ecclesiae fundamento, eiusque praedicatione per Petrum; alii de omnibus Apostolis simul cum Petro (Ephes. II, 20). Qui vero 2° Petrum ipsum esse subiectum concedunt, significari volunt eam praerogativam Petri qua prior praedicationem exorsus est, ianuamque Ecclesiae prior hebraeis et gentibus aperuit. Sunt et qui advertunt *πετρα* esse lapidem qui proicitur et provolvitur; eaque metaphora proinde significari fidem Petri quae ipso et post ipsum aliis praedicantibus divulganda est in universum orbem.

Interpretatio catholica est, subiectum immediate designatum vocabulo *Petrae* esse idem ac illud quod vocabulo Petri designatum fuit; ideoque Petrum et *Petram* pro eodem supponi, atque hac metaphora significari eandem esse habitudinem Petri ad Ecclesiam, quae est fundamenti ad aedificium, ut deinceps explicabitur. Itaque quoad primum tenendum est non quaeri modo unde Simon dignitatem et nomen *petrae* sit mutuatus, sed quaeri tantum, ad quem immediate spectent verba: *super hanc Petram*. Porro ipsum esse Simonem Petrum ita demonstratur. Sane a) Christus chaldaice vel syriace locutus est; porro unum est in hac lingua vocabulum כִּפְתָא quod Petro et *Petrae* respondet: eodem ergo vocabulo usus est Christus *tu es Kepha, et super hanc Kepha*: quare et Syrus interpres Matthaei eadem voce usus est כְּפִתָא / כְּפִתָא סֵי אֲבִי; graece autem *πετρος* et *πετρα* non re sed terminatione differunt et utrumque vocabulum significat *lapidem, saxum, rupem*, quamvis *πετρα* usitatius sit. Fuit vero ratio cur graecus Matthaei interpres priore loco masculinam adhiberet terminationem; nam ita a Graece loquen-